23

TENTAMEN MEDICUM,

QUAEDAM

DE

VENTRICULO

COMPLECTENS.

AUCTORE JOHANNE EDVARDO FREAKE.

In corpore humano, haud secus ac in aliis animantibus, quaedam et graves quidem mutationes assidue peraguntur; ipsa etiam ex quo corpus conficitur materia, eadem manere nescit, sed fluxa atque instabilis continuo deteritur; variae enim corporis partes, cum fluidae tum solidae, perpetuo rejiciuntur, et materia renovantur nova.

A

Edinburgh 1815

Jam inde a primis corporis rudimentis embryon tam minutum est, ut id nullo modo perscrutari possumus; neque diu postea conspici potest, etsi id incrementum indies capiat necesse est. Caput primum e corpore prodit, denique percipiuntur artus: nunc celerrime crescit; et post partum, incoepta nova vita, functiones variae corporis vivi rite explentur: post annos elapsos viginti vel triginta, omnes corporis partes probe evolutae gradum perfectissimum attingunt.

Cum systema animale animo contemplamur, atque mentem ab animali simplicissimo ad hominis structuram transferimus, mutationes indesinenter factas esse planius percipimus; apparet enim machina multiplici arte ita constituta, ut partes ejus assidue detritae, mirando artificio subinde renoventur.

In primis viis, ut vulgo dicuntur, hae ciborum mutationes peraguntur, quibus ad corpus nutriendum apti fiunt. Cibus enim assumptus in ventriculo insignem mutationem subit; et ad intestina delatus ulterius adhuc mutatur, ibi in chylum denique confectus, vasis lacteis in corpus absorbetur.

In hac dissertatione de Ventriculo tantum, utpote ad has mutationes maxime necessario, verba facere statui.

Quoniam necessarium est materiam, cum solidam, tum fluidam, renovari, permagni interesse, ut ventriculus vigens atque validus suis muneribus probe fungatur, omnibus perspicuum erit.

De ventriculi itaque structura, nexu, munere, et morbis, hic loci breviter dicendum est.

DE VENTRICULI STRUCTURA ET MUNERE.

Ventriculus saccus est membranaceus, duplici fibrarum musculosarum serie instructus, statim sub diaphragma, sinistram hypochondriacam atque epigastricam regionem occupans; deorsum et antrorsum flectitur, cum oesophago angulum faciens.

Duae sunt superficies, superior et inferior, quarum illa ad diaphragma, haec ad intestina spectat.

Duae sunt extremitates, quarum amplior sinistram regionem hypochondriacam tenet, et minor ad dextram regionis epigastricae partem usque excurrit.

Ima superficiei anterioris pars, musculos abdominis versus spectans, ex qua omentum majus dependet, arcus major ventriculi nuncupatur, minor vero arcus multo brevior sursum et protrorsum flexus, omentum minus sibi adjunctum habet.

Tunicae sunt tres, prima ex peritonaeo facta; secunda, muscularis; et tertia, villosa, nominatur. Exterior ex ista parte peritonaei, quae ex fundo hepatis progreditur, originem ducens, longe validissima est; alias firmat, quae ab eo amplectuntur: nervis atque vasis paucioribus instructa est. Secunda ex fibris muscularibus, et in longitudinem et in latitudinem excurrentibus, constat; exteriore multo crassior est, et ejus fibrae variis modis semet intersecant. Tertia, et interior, aliis multo amplior, plurimis plicis in transversum tendentibus, distincta est.

Hae tunicae, aliae aliis adnectuntur membrana cellulosa, quae inter musculosam et villosam posita, parvis filamentis, oblique semet secantibus, firmatur.

Orificium ex ventriculo in oesophago patens *Cardiacum* vocatur; ad magnam ventriculi extremitatem positum est, et oesophagi quasi productio videtur.

Iter autem ex ventriculo ad duodenum *Pylorus* dicitur, tunicis ventriculi interioribus fabricatus, et structuram musculosam in modum sphincteris constructam, exhibet.

Arteriae ex coeliaca, hepatica, et splenica enatae, ventriculum sanguine suppeditant, qui ex eo reducitur venis, in venam portae denique confluentibus. Ventriculus oesophago, duodeno, et peritonaeo radice hepatis, spleni, et intestinis magnis nectitur.

Nervi ex octavo pare et sympathetico magno oriuntur.

In interna ventriculi superficie secernitur fluidum, quod Succus Gastricus nominatur; hoc purum atque integrum ab inquinamentis sejunctum vix parari potest, partes itaque ejus constituentes adhuc parum accurate explorantur.

Qualis sit iste processus in ventriculo peractus, quo cibus in chymum mutatur, non bene hactenus intelligitur. Succus gastricus vi solvendi certe pollet. Haec, autem, in experimentis de industria extra corpus institutis, ad cibum in chymum commutandum, minime valet. Quod, vero, ultro in ipso ventriculo obtineat, in obscuro omnino positum est; et sane parum profecerunt, qui animalium viventium cruciatu, rem ulterius perscrutari conati sunt.

Trituram ad cibos concoquendos non valuisse, pericula a Doctore STEEVANO et aliis facta satis evincunt; et vis, qua pollet, antizymica, nullam fermentationem in ventriculo sano locum habere suadet.

Concoctio videtur mutatio quaedam chemica, qua res in ventriculum sumptae, dissociatis pristinis principiis, novam formam induunt. Res pulposa alba, in qua omnes cibi partes, quae solvi possunt, intime commiscentur, Chymus dicitur, qui actione ventriculi peristaltica ad pylorum adductus in duodenum traditur, et denique in intestinis, viribus non bene intellectis, in chylum penitus conficitur.

Dum haec in ventriculo peraguntur, corporis munera nonnunquam adeo turbantur, praesertim in debilibus et in iis valetudine parum commoda fruentibus, ut etiam paroxysmus febrilis accedat.

His de ventriculi structura et munere praemissis, opusculi instituti ratio postulat ut quaedam de ejus morbis breviter perstringamus.

DE GASTRITIDE.

Pyrexia typhodes; arteriarum pulsus parvi, duri, et frequentes; calor multum auctus; sitis valde molesta; summa anxietas; dolor in regione ventriculi fixus, ardens, et acutus; vomitus ex omni re ingesta protinus concitatus; singultus, cum viribus multum imminutis,—symptomata sunt quae fere Gastritidem comitantur, et hunc morbum ab aliis satis secernunt.

Hic morbus, etsi raro nisi ab injuriis externis vel venenis proveniat, aliquando ta-

men e frigore, praesertim ad corpus praeter ordinem calefactum admoto, oritur, maxime si frigida in ventriculum ipsum recepta fuerit.

Exemplum mihi oblatum est hominis, fervente aestate, vehementi exercitatione defatigati, qui post florem lactis glacie frigefactum avide haustum, illico aegrotare coepit; statim enim gravi ventriculi dolore et vomitu perpetuo corripiebatur, et paucis elapsis horis mortuus est.

Ventriculus vitae adeo necessarius est, et tantum inter eum et alias corporis partes intercedit commercium, ut ejus inflammatio jure periculosissima habetur. Ex debilitate enim maxima, quae in hac prae caeteris inflammationibus inducitur, mors saepe inopinato supervenit.

Etsi hic morbus gravissimus saepe in gangraenam, et nonnunquam in suppurationem abeat, haud raro resolutione finitur.

In primo morbi gradu ad liberam sanguinis detractionem, ex amplo vulnere institutam, protinus confugere debemus. Balneum, fotus, vesicantia quoque parti dolenti admota, haud leviter prosunt. Vomitus ex omnibus in ventriculum sumptis statim concitatus, ne medicamenta, vel cibi in eum ingerantur, fere obstat: in intestina, itaque, medicamenta infundenda sunt.

Quod si ventriculus non omnia etiam blandissima respuat, potus mucilaginosi et cibus tenuissimus parce concedi possint. Si, etiamsi haec remedia strenue adhibita fuere, morbus per plures dies invictus perstet, ne in gangraenam vel suppurationem eat, magnopere timendum est.

Quod si dolor, antea vehemens, cessat, cum pulsu admodum debili, frequenti, et inaequali, summa virium prostratione, facie pallida et collapsa, extremis partibus frigidis, delirio, et singultu, nullum restat dubium quin gangraena ventriculum jam invaserit.

Inter venena, quae dirissima gastritidis signa concitare solent, Oxidum Arsenici, cum propter pestiferos ejus effectus, tum propter frequentiam qua ad id decurritur, summam medici attentionem jure vindicat. Ex hoc enim veneno, exigua admodum quantitate in ventriculum ingesto, saevissima inflammationis symptomata protinus exoriuntur: hinc enim dolores ardentissimi in regione epigastrica, vomitus vehemens et assiduus, stricturae, et cujusvis urentis in faucibus sensus, tenesmus, alvi fluxus, partium extremarum spasmi et tremores, nonnunquam maculae in variis corporis partibus obortae, viribus

citissime ruentibus, cum pulsu frequenti, debili et inaequali.

Medicus in hoc rerum statu arcessitus, frustra plerumque a medicina auxilium petit; utcunque enim venenum expulsum fuerit, haeret ventriculo immedicabile vitium ei impressum.

Multa variis temporibus in usum revocata fuere, quae vim arsenici venenatam delendi facultate pollere credebantur. Alia ex vi chemica hoc oxidum iners reddere; et alia vi mechanica acrimoniam ejus involvere et obtundere, et simul stomachi ipsius tunicas a venenatis ejus effectibus defendere. Hinc varia Sulphureta, praesertim Sulphuretum Potassae, oleosa, et lactea, uberrime sumpta, suos habuere laudatores. Dolendum autem sit, omnia haec saepissime incassum adhiberi, et nulla forsan existit antidotus, ex cujus viribus bene sperare liceat.

Si medicus in consilium vocatus statim ac venenum assumptum fuerit, et effectus ejus deletrices non adhuc semet in conspectum dederint, ea emetica, quae citissime ventriculum exinaniunt, ut Sulphas Zinci vel Cupri, protinus danda sunt.

Nonnunquam in dubium vocatur, utrum mors huic veneno debeatur, necne; et in multis exemplis plurimum interest accuratissime statuere, antequam medicus judicium ferat; capitalis enim agitur quaestio.

Hoc itaque consilio, cum de ventriculi inflammati notis certiores facti sumus, ejus contenta aqua probe abluenda sunt; et si quodvis coloris albi vel cinerei prodeat, id chemicis periculis tentandum est.

DE PYROSI.

In Pyrosi, dolor et calor in regione epigastrica, stricturae sensus, nausea et vomitus fluidi aquosi, nonnunquam coloris flavi et acris, urgent; haec signa ex ventriculi spasmo proficisci videntur.

Hic morbus jure idiopathicus habetur, et, pubertate adepta, omnis forsan aetas ei pariter obnoxia est. Ex mente aliquo modo perturbata, vel frigore suscepto concitatur; paroxysmi modo longis intervallis, modo saepius in die aegrum vexant. Morbus in genere potius molestus quam periculosus.

Non eadem medendi ratio omnibus pyrosi laborantibus opportuna est; saltem, quae in quibusdam morbum fugant, in aliis ne mini-

me quidem prosunt. In omni forsan exemplo quaedam diaetae mutatio, qualiscunque ista fuerit, aliquantum forsan proderit.

In uno casu cascarilla et ammonia morbum summovebant. In alio, in quo omnia medicina frustra adhibita est, aegra annum quinquagesimum quintum agens, paroxysmum mane et vespere per triduum experta est, et postea per tres annos morbo plus minus assidue aegrotavit. Etsi in hoc exemplo nulla medicamenta ad morbum penitus tollendum valuerunt, mala tamen, ex opii et cascarillae usu, multum sublevata fuere.

Aeger triginta annos natus post mentem graviter commotam, fluidum aquosum et acre bis terve in die per plures dies vomere solebat; cibum, saltem ex re animali confectum, paulatim imminuere coactus est; necesse autem habuit exiguam cibi portionem omni hora in ventriculum assumere, ut cave-

ret paroxysmum aliter ex eo vacuo oriturum, quo tandem factus est ut morbus sensim semet subducebat, et nunquam revisebat, nisi forte e cibo animali plenius ingesto.

In alio exemplo aegri aetate provectioris, qui iterum atque iterum hujus morbi impetum post prandium expertus est, pyrosis acidi muriatici ope multum mitigata fuerit.

DE DYSPEPSIA.

Cum sine ullo vitio organico vires ventriculi concoctrices laesae sunt, plurima symptomata, in aliis alia, oriuntur, quae morbum Dyspepsia dictum constituunt. Hinc dolores varii generis ex spasmo vel materia acri, ciborum appetentia imminuta, nausea, vomitus,

ructus, inflationes, et alvus pigra, aegrum vario gradu molestissime exercent.

Omnia haec signa ex viribus ventriculi musculosis resolutis vel succi gastrici vitio pendere creduntur. Quodcunque itaque hujus organi vires infirmat, ut nimia ciborum ingurgitatio, stimulantium et sedantium usus frequens, vita sedentaria et affectus animi deprimentes, hunc effectum via haud obscura edunt. Hae autem causae diversos homines longe aliter afficiunt; sunt qui levissima diaetae peccata dyspepsia luunt, dum alii, causas morbi graviores diu admotas impune ferunt; corporis enim robusti atque vegeti est, multa sine ullo detrimento sustinuisse, quae infirmiores in morbum conjicerent.

In dyspepsia, omnia medicamenta frustra adhibentur, nisi causae, quae morbum concitaverint, prius sublatae fuere, et idoneum vitae atque victus regimen institutum. In hoc tamen dyspeptici saepe vehementer peccant;

dum auxilium a medicina petunt, morbi causa neglecta. Multi tamen medicamenta, utcunque ingrata, quotidie affatim devorare non recusant, qui vero nullis argumentis adducuntur ut a cibis lautioribus et poculis abstineant. In hoc autem morbo, ut quisque sui stomachi mensuram noscat necessarium est.

Diaeteticis legibus rite servatis, quid valeant medicamenta in viribus ventriculi restituendis proxime experiri debemus; hoc itaque consilio varia roborantia in auxilium vocantur, inter quae ferri praeparata, et amara, Cinchona, Gentiana, Colombo, et alia hujusmodi, bene respondent.

Praeter remedia quae ad causam proximam morbi tollendam conveniunt, alia diversi generis, quae symptomata maxime molesta sublevent, semper necessaria sunt.

Cardialgia, saepe admodum molesta, alkalinis et terris absorbentibus optime medetur, dum tali cibi genere utimur, qui minus facile in fermentationem ruat.

Hoc nonnunquam ita eminet, ut unicum dyspepsiae signum videatur; et in nonnullis exemplis omni medicinae pertinaciter resistebat. Heberden clarus admonuit, " Ut quidam per annos viginti vexati fuerint acore ventriculi nullis remediis cedente. Aqua calcis, magnesia, pulvis e testis piscium, et sales alkalini, saepe votis aegrorum parum responderunt."

In gastrodynia dolor e spasmo pendens opio et stimulantibus optime cedit; haec autem, nisi res valde urgeat, parco manu adhibenda sunt, quippe quae inter morbi causas jure recensentur. Nuper Oxydum Bismuthi in hoc signo debellando laudes, non sine causa, adeptum est.

Alvus adstricta, quae fere semet dyspepsiae comitem adjungit, et morbi symptomata haud parum exasperare solet, catharticis lenioribus soluta semper tenenda est; quae ex aloë et rheo vel salinis optime comparantur.

Ex consensu, qui inter stomachum et alias corporis partes viget, arctissimo, dyspepsia aliorum morborum saepe symptomatica est; in his vero casibus, frustra erit medicina, donec morbi origo rite perspecta, idoneam medendi viam indigitet.

FINIS.